227
225
231
221
236
216
276
176
326
126

Agenor Beli vetustissimus filius exstitit; hic Agenor in Aegypto primo consedit, sed peste pulsus inde navigio per maris viam venit in Phoenicem et a Phoenice migravit Cilix in Ciliciam, quam forte nondum inhabitatam invenit. Sunt tamen qui dicant, provinciam hanc a Cadino occupatam, antequam quaesiturus Europam mitteretur a patre, eamque postea a Cilice possessam Cadino non redeunte. A tergo habet Taurum montem famosissimum, quem idem (eundem) cum Caucaso monte dicunt, et a mari nostro a principio Ciliciae usque in orientem extremum protendi videtur. Pictura tamen Ptolomaei dividere montem (b) hunc videtur per Euphratem fluvium paradisi, qui per medium ejus transit, et inferior pars dicitur Taurus, alia dicitur Caucasus. Graeci tamen illum totum et longissimum tractum simul nominant Ceraunium, et hujus nominis saepe memoratur S. Jeronymus in suis dictis. Et ille mons recte dicitur catena mundi, nam Asiam omnem ab Aeois incipiens et in Cilicium mare desinens in duas fere aequales partes dividit, incipit ab Indico mari et tendit in occiduum, per varios circumvagatur flexus usque ad Riphaeos montes, quibus Alpes juncti aliam mundi divisionem facit (faciunt). Ideo mons ille Taurus aut Caucasus infinita habet nomina.

Mons ille ab una parte claudit Ciliciam, ab alia parte mare habet. Porro ultra montis jugum contra orientem est Armenia minor et major, et ab occidente iterum per interjacentes montes est Capadocia. In Armenia est mons ille altissimus Ararath, in quo archa post diluvium requievit, in quo, ut dicunt, usque hodie lignorum vestigia de archa reperiuntur, quae plurimum sunt medicinalia. Dicunt etiam quidam veteres gentiles, quod in Armenia mons sit, Baris appellatus, conjunctus praefato, in quem tempore diluvii confugientes salvati fuerunt ab aquis, et hoc forte factum fuit in diluvio tempore Ogygis. Et ibi etiam faciunt mentionem de his, quia archa vecti in hoc consederunt monte, ut habet Eusebius de Evangelica praeparatione. In Capadocia mons est, Argeus dictus, arduus plurimum et omni tempore pruinis rigens, eumque Dei habitaculum veteres accolae credidere. In Cilicia autem, de qua nunc sermo currit, montem altissimum vidimus, quem Coritum nominant, qui mons insigni specu est mirabilis. Nam in summo montis vertice amplo satis hiatu patet, et in profundum demissis quanto magis dimittitur, tanto amplior efficitur, et undique puben-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;